

I.N.S.S.T.

DISPUTATIO PHYSICA,

De

# INTELLECTU HUMANO,

*Quam*

MODERAMINE SUMMI PROTECTORIS  
In Regia & incluta Academia Aboënsi,  
Adprobante Ampl. Fac. Phil.

PRÆSIDE,

*Viro Amplissimo*

DN. M. PETRO HAHN,  
Scient. Nat. Prof. Reg. & Bibliothecario,  
Promotore & Fautore, submissâ animi re-  
verentia jugiter prosequendo.

*publico bonorum examini modestè sistit*  
S. R. M. Alumnus

NICOLAUS L. BRUZELIUS,  
Wer: Smol.

In Auditorio Maximo boris antemeridianis,  
si DEO visum fuerit d. 29. Maji,

A. M. DC. XCVII.

---

Exc. apud JO. WALLIUM.

## ОТДЕЛЫ СИАМОН

IN CHRISTO

*Reverendissimo Patri ac Domino,*

**DN. P E T R O  
LAUR BECCCHIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI longè Celeberrimo, hactenus ejusd. Facult. PROFESSORI Primario, nec non Eccl. Aboënsium & Numensis PASTORI dudum meritissimo ; Nunc verò Diœcœlos Wiburgensis EPISCOPO Eminentissimo, Vener: Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI Gravissimo, Gymn. Scholarumq; ibid. EPHORO Amplissimo, Mæcenati, Promotori ac Nutritio suo, ut indulgentissimo ac liberalissimo , ita & piâ mente æternum su- spiciendo.

*PACEM MULTAM ET FELICITATEM!*

**P**ostquam ihsaudiverā favonium Diœce-  
si Wiburgensi, vere faustum adspi-  
raſſe, quod Regis nostri serenissimi  
Paterna cura Te Reverendissime Pater  
Episcopum longè dignissimum creaverat, an-  
xiā mecum deliberatione diu agieadi, quā ra-  
zione mibi occasio Reverendissimæ vestræ  
Paternitati gratulandi inqve latitiam e-  
rumpendi daretur. Venit hujus novæ fe-  
licitatis nuntius, & instigabant simul be-  
neſciorum nunquam ſatis decantandorum  
myriades, quibus jam fermè biennio, in  
ſplendidissima, & Episcopalibus virtutibus mu-  
nita Domo uetus ſum: Illa certè erga me be-  
neſcia tamquam ab inexhausto fonte dima-  
nantia, plura atque majora ſunt, qdām ut  
ſolvendo eſſe poſſim: pro viribus tamen enītar,  
ut Reverendissimæ vestræ Paternitatis  
erga me meritorum memoria, nullo unquam  
tempore finiatur. Nihil babens autem, quod  
anto Domino, pro tot tantisq; beneficiis repen-  
dam, ad pedes Reverendissimæ vestræ  
Paternitatis basee ingenii mei de intelle-  
ctu Humano primitias, tenues licet, in de-  
votum animi pignus, atque juxta earum

Auctorem, studia & obsequia omnia, humil-  
lima mente depono, impensissime rogans ut  
easdem Reve: V: Paternitas placere sinat,  
& me clientulorum minimum in posterum  
benevolentia & favore solito prosequi digne-  
tur. De cetero, DEUM cæli terraque statu-  
rem supplici & simplici veneror mente, ut  
Reverendissimum Patrem, satrum vege-  
tumque in seros annos conservet, Ecclesie &  
Amplissimæ suæ familiæ Laurbeckiane,  
insigne fulcimentum & gaudium, decus &  
ornamentum perenne! quod quamdiu in-  
ter hosce meat spiritus artus, animitus vobis  
& exoptat!

Reverendiss: Vestrae Paternitatis

Humillimus & deuotissimus  
cultor

N. BRUZELIUS

Admodum Reverendo, Clarissimis,

*Admodum Rever. & P̄eclarissimo, Viro,*

**DN. M. ALEXANDRO  
WIRÆNIO,**

Helmstad. Pastori longè meritissimo, & circumiacentium territoriorum Præposito, gravissimo, ut ante quinquennium Nutritio & Studiorum meorum Promotori optimo, ita nunc Evergetæ & Mæcenati semper multumque suscipiendo.

*Plurimum Reverendo,*

**DN. SVENONI TILLIANDRO,**  
Pastori in Pietteryd meritissimo,  
Fautori & Evergetæ suo colendo.

**DN. JOHANNI Wijfman/**  
Provinciæ Cronoburgensis Qvæstori  
fidelissimo, nec non Civitatis Wex:  
veftigalium Inspectori vigilantissimo,  
multis nominibus honorando.

**SALUTEM! INCOLUMITATEM!**

RIS

Pl. Reverendis & Spectatissimis.

Pl. Rebe: & Clarissimo Viro,

DN. M. JONÆ FAGRÆO,

in Hwitternd/ cum annexis Berga  
& Dørarp Pastori dignissimo, Mæ-  
cenati & Evergetæ, multum deve-  
nerando.

DN. GABRIELI Wijtman/

Territorii Austroburgensis Prætori  
adcuratissimo, ante triennium Nutri-  
tio & Patrono optimo, nunc verò  
Fautori & Benefactori, debito ho-  
noris cultu proseqvendo.

DN. ANDREÆ Rosberg/

Prætori Provinciæ Cronoburgensis  
perindustria, Fautori & Benefactori  
nunquam non amando.

OBSEQVIA ET OFFICIA!

**A**udi quod vel aurô fulguret vel ar-  
gento splendeat, qvō gratitudinem me-  
am debitam atque submissam, Patronis  
optimis significare offerre non possum, spe-  
cum piceum hocce qualecumq; Academicum Tuū  
Admodum Reverendo, Vestrisque Praeclaris &  
spectatissimis nominibus dicabo, qd quamvis  
beneficiorum mihi praefitorum circulum  
non aequet, qd enim mea ars hic efficere  
potest, ingenitque quam dissimilare nec pos-  
sum tenuiss? Illa tamen in eorum sibere fo-  
ret in honestum, qae illo temporis spacio, quo  
sub pulvere scholastico sudavi, Vesta in me  
paterna contulit bonitas; qae sane & nume-  
ro & magnitudine omnem meam excedunt di-  
pendi facultatem. Interim Vestro Patrono  
Optimi animo benevolo, quo esset in Musarum  
filus quisunque satellites, fructus, hasce pa-  
gellas, Vobis submissè consecro, qvicquid fue-  
rit munusculi, ceu tessera humilimæ, pizque  
maxime mentis, faventi fronte suscepuros  
Vos sperans. Ego qui re nibil plane possum  
præstare, vici sim diuturnam & Nestorem bur-  
ius lucis usuram, & quævis fausta apparet  
probis non desistam.

Vestrum omnium observantissimus  
& officiosissimus

N. BRUZELIUS  
Auct. & Reff.

In Juvenem.

Eruditione ac innocentia Morum Pereximum,

DN. NICOLAUM BRUZELIUM,

Smolandiâ - Svecum,

De INTELLECTU HUMANO ingeniosè  
ac sanè disputantem,

ΣΤΡΑΠΜΑ.

**E**xcolis ingenium, BRUZELI, con-  
venientem  
Materiam excutiens propositoq; tuo.  
Intellectum Hominis spectas, pariter Pa-  
tientem,

Quantumvis alias inveniatur Agens.  
Ostendis variosq; gradus, dum Mens o-  
peratur,

Inveniendo aliter, Iudicioq; aliter:  
Concipitur Notio mentis, conjungitur inde  
Quando aliis, jucetas conseqviturq; aliud.  
Sic Intellectus non est res undiq; vecors,  
Vel bruta; et si errat cæcus abinde scopo.  
Hæc quando exponis, non est opera un-  
dique vana:

Crede mihi, illius Præmia docta feres!

Applaudendo scripsit

PETRUS LAURBECHIUS  
S.S.Th. D. Prof. Pr. Conf. Ep. W.

*In Disputationem*

Ornatisissimi

Dn. NICOLAI BRUZELII,

De INTELLECTU HUMANO,

affabre elaboratam:

**C**orpore quod præstant vigiles sub  
fronte ministri,

Id præstare potest fervida mens  
*anima.*

Colluстрant illi qvicquid compa-  
gine *Corpus*

Continet: id confert *hunc* ratio-  
nis iter.

Scilicet ex sele quod res sit cæca  
*Voluntas,*

BRUZELIUS præstans hacce doce-  
re potest.

*Amicitiae ergo*

A. WANOCHIUS,  
S. S. Theol. Prof.

**H**abilitatem INTELLECTUS HUMANI, Candide Lector, mecum agnosces scio, dummodo penitiori pectoris scrutinio illud Chilonis, templi Delphici foribus inscriptum, scrutaris, yvw. de oeulis; Nam qui se novit, multa novit, se vero qui ignorat, multa Ignorare necessum habet. Quod certè nihil pulchrius, nihilque præstantius duxere saniores. Homini nobilissima concessa est potentia, quæ potens est non tantum noscere scipsum, sed omnia extra se dijudicare objecta. Hujus namque ductu fertur mens humana in notitiam scientiarum atque disciplinarum omnium, imè ipsius DEI, adeo ut non dubitemus, cum Philosophis afferere: Intellectum intelligendo fieri omnia, haud tam aliter, ac per modum simileudinis & representationis, recipiendo omnium rerum species quibus similis factus ipsas intelligit. Verum quanto hoc est nobilis, quanto venustius, tanto difficultius & magis arduum cendum. Quod ipsum & Ego, Intellectus Humanus naturam, sententiarum divortiis obfua-

2

scatam, æqua animi lance ponderans, deprehendi. Partim ex eo, quod Intellectus ejusque cognitio in se quasi reflectatur, secus ac sit in cognitione aliorum, quæ extra sunt, objectorum. Partim quod oculi nostri, ad objecta cognoscibilia, haud secus ac mycticoracis ad clarissimum solis jubar, cœcutium. Sic novimus omnes res scieu necessarias, multo esse difficiliores, quam ut sermone explicari possint. Cum et. nihil sit beatius quam scire, nihil laudabilius, quam discere velle, censore subtilitatis Magistro, annum despondere nolui; sed quod levi ingenii talento, solide rimari non valeo, tantummodo mirari liceat. Quippe non sum ignarus, mirandos esse intellectus thesauros, quos mirari facillimum, rimari a. Et scrutari, hoc opus, hic labor est. Interim, Candide Lector, intellectum difficultas tentantis, ne sinistre interpreteris, per officiose oro; proinde si quid crudi minusque coeti inveneris, nullus dubito, quin intellectus nostri imbecillitatis sis memor, atque adeò illum non erroris immunem. Si itaque id, quod volui, non potui assequi, sua id tegat humanitas. Vale!

Nu-

NUMEN LABORI BENEDICAT!

# SECTIO PRIMA.

## §. I.

**E**xistentiam intellectus humani, ceu indubium quid, & à cunctis receptum, tutò præsupponimus, atque proinde rationibus recensendis, illam asseverantibus, liberè supersedemus. Ideoque in primo statim limine, si ad receptum, tam antiquæ, quam nostræ ætatis philosophorum morem, feramur in cognitionem ὁρματολογίας & πραγματολογίας, operam & oleum non speramus nos fore perdituros. Monente Platone: Δεῖ πρῶτον εἰδεῖσθαι τὰ ὁρματα; à nominis namque origine natura rei est deducenda, cum vocabula variis difficultatibus irretita sint, atque ita veritas inter tot recessus, totque labyrinthos clausa, nubibus hisce non bene discussis, ægrè possit obtineri. *Etymi* itaque indolem indagaturi, deprehendimus *intellectum*, deduci ab intelligendo, illud a. ab inter vel

intus & lego. Intelligere enim est qua-  
si penitus noſte, ſive intus legeſe, inti-  
maque veritatis adyta penetrare; ab i-  
po ratiocinandi ſive intelligendi aetu,  
qui nobis ad oculum monſtratur, ab  
intelligendo originationem haurire, &  
intimam qvandam cognitionem im-  
portare.

§. II. Ordinis id efflagitante rati-  
one, Etymologiam ſequitur errorum  
discutienda genitrix & litium promta  
mater *πλυντηρία* ſive *Hom.* uno enim eo-  
demque modo apud Auctores accipi  
non folet intellectus. Nonnullorum  
itaque ſcriptorum ſententiis recensitis,  
noſtro palato arridentem retinemus.  
Sæpè numero venit nomine *doni Spiritus*  
*Sancti*, ut qvando facra pagina dicit:  
*dare intellectum*. Interdum habitualiter,  
pro habitu principiorum, qui alias vo-  
catur intelligentia. *Pneumaticē* verò  
pro cognitione, qvalis in ſubſtantiaſ ſpi-  
ritualibus, qvæ ſunt incorporeæ; non  
intelligentes ſemper ratiocinando, qvem-  
ad

admodum homo, qvi cum discursu  
unum post aliud; & qvidem per spe-  
cies & phantasmata intelligit; qualis  
intellectio, qvia sit beneficio sensuum  
& animæ, qvatenus cum corpore est  
unita, tantum hominibus competit.  
Vel n. spectatur intellectus humanus,  
qvatenus ejus subjectum anima, exi-  
stet extra corpus organicum, à se prius  
informatum; vel prout ipsa vinculo u-  
nionis unita est corpori, ad qvod in-  
formandum à natura intenditur. Qvod  
intellectus humanus, in statu separati-  
onis sui subjecti, retineat species si-  
ve operationes, qvas prius corpori u-  
nitus habuerat, hujus loci non est nec  
nostrum institutum demonstrare. Ve-  
nit a. nobis nunc in considerationem,  
qvatenus una cum reliquis facultati-  
bus, voluntate, Ritu & Sermone, no-  
tat potentiam animæ rationalis sive fa-  
cultatem intelligendi: qvæ dicitur esse  
potentia, tam agens seu activa, qvam  
patiens seu passiva. Hinc anneximus  
*Synonymiam:* Vox intellectus à diver-

sis operationibus, nec non aliis respe-  
ctibus, dicitur mens, animus, & po-  
tentia intelligendi ~~νοησης~~, sive vis in in-  
tellectu subtilissima, qvæ etiam res in-  
corporeas speculatur. Intelligentia, ra-  
tio, qvâ homo maximè à Bruto di-  
scriminatur. Græcis a. τὸ λογιστικὸν, νῆσον,  
Σύνεσις.

§. III. Paucis istis evoluta defini-  
tione *nominali*, paucissimis evolvenda  
restat *realis*; qvare nos mox ad illam,  
qvam nobis exhibit Sperlingius, con-  
vertimus. *Intellectus est Facultas animæ  
rationalis, ad verum cognoscendum ordinata.*  
Hujus definitionis adcuratius exami-  
nantes indolem & resolventes partes,  
deprehendimus tramitem dupliceim,  
qvem nobis pandunt Logici, *Generis*  
*scil: & differentiæ.* Illud esse hic genui-  
num & adæqvatum, eo ipso satis e-  
vincitur, quod natura sua de pluribus  
prædicari aptum natum sit: nempe de  
voluntate, nec non reliquis facultatibus  
secundariis, qvibus verè dicimur in-  
telle-

telligentes, volentes, loquentes & ri-  
dentes: anima enim non est potens  
suas operationes immediate seu per pro-  
priam substantiam elicere, hoc n. est  
virtutis infinitæ; sed per qualitates  
ab essentia animæ manantes. Qvare  
per facultatem, tamquam legitimum  
Genus, definiri diximus. Unde & se-  
quitur, intellectum esse quiddam ab a-  
nima rationali realiter distinctum; non  
subiecto, sed in quantum realis distin-  
ctio subaudit res diversas & secundum  
essentiam distinctas, etiam anima non  
cogitante, qvâ ratione anima & intel-  
lectus dicuntur realiter differre; ani-  
mæ qvippe essentia, non est essentia su-  
arum facultatum. Illa n. est substantia,  
hæ vero accidentia, qvorum essentia est  
inexistentia seu inhærens subiecto: non  
enim identificantur sive idem sunt re-  
aliter cum substantia, sed hanc extra  
essentialiter afficiunt: nam si intelle-  
ctus & voluntas non different realiter  
ab anima, utique inter eas realis da-  
retur identitas; omne n. qvod est, aut  
idem

idem est aut diversum: facultates animæ sunt; Operationes n. essentiam sive entitatem indigitant; Ergo vel idem sunt, vel quid diversi: non illud, quia sic intelligere & velle, loqui & ridere, idem esset, quod  $\alpha\zeta\pi\alpha\nu$ ; ergo hoc: facultates igitur, quia inter se se differunt, etiam ab anima differre patet, & quidem realiter. Distinctionem autem hanc non arguere compositionem, praeter Metaphysicam & Logicam, cum Philosophis statuere veritati maximè consonum videtur. Nam ad compositionem requiritur, ut partium componentium una sit extra alteram, sive separentur ab invicem: quædam vero unius essentiæ numericæ facultates, distinguuntur realiter, quæ hæc separatiōne non gaudent. Metaphys: Calov.

§. IV. Conceptum restringentem fistunt voces præsentis definitionis cæteræ, qui desumitur, tam ab obje~~c~~to, ~~vero~~; quod intellectus semper apprehendit, quam à diversis actibus: actus namque proxime à potentiis, potentiae vero

vero immediate ab animæ essentiâ fluunt. Actus intellectus sunt, apprehensio, judicium, discursus: Voluntatis, appetitus & aversatio. Horum actuum discrimen inclarescit, cum aliud sit cognoscere, aliud rem cognitam appetere, quæ diverso operandi modo fiunt: illud quidem cognoscendo & recipiendo species, ita ut res ad mentem feratur; hoc vero per suadendo vel dissuadendo, ita ut mens ad objectum feratur & trahatur vel non. Objectum item Intellectus non habet idem commune cum voluntate; illius enim est versari circa verum, & quidem maximè res necessarias, hujus, circa contingentia, & quidem Bona <sup>optima</sup> sive Quamplures talia: quas potentias objecti diversitas secerbit, cum objecta cognoscamus in quantum entia, apperamus vero eadem quantum bona. Harum Facultatum, cum primariorum, tum secundiarum, differentiam qui inficiatur, earum inspiciat definitiones diversas, eam necessario inferentes, quam nos dicimus realem. B §. V.

§. V. Subiecto quo, implicita est *Causa efficiens proxima, anima videlicet rationalis, eaqve per emanationem, non transmutationem.* Ab illâ namque libera, intelligendi potestas immediato profluit partu, qvi profluxus per effectivam resultantiam naturalem procedit, non obstante qvod intellectus ab anima separari nequeat. Nec spero ullum esse, qvi intellectus operationes corpori, tamquam causæ principali, adjudicare præsumat. Cum procul dubio qilibet noverit, formæ proprium esse informare suum corpus; relinquitur itaque animam humanam seu substantiam, per suas facultates actionum suarum esse principium genuinum, quibus intelligere deque rebus judicare potest. Afferendo itaque facultatem intelligendi, presupponimus principium à quo promanat, qvod est ipsa anima.

## SECTIO SECUNDA.

§. VI. **O**bjectum Facultatis intellectivæ adæquatum, totale & qvod, materi;

teriale & formale implicans, tam latè patet, quam entis notio, non aliter ac sensitivæ potentiae objectum est omne sensile. Objecti autem intelligendi ratio *formalis*, est verum, quod ad conformitatem rei cum suo exemplari involvit respectum; quidquid enim intelligimus, sub ratione veri intelligimus, vel revera existentis, vel apparentis. Hæc quippe intellectum assimilat & adæquat rei cognitæ, quare res, quæ cognoscitur, est vera, cum coincidit cum intellectus ideâ. Verum namque nihil aliud est, teste Duhamel: quam ens declarativum ejus quod est apud intellectum, scilicet Divinum. Qvare non sine causa cum Dannhawero, nec non Sperlingio & aliis philosophis Intellectus judicium, sive cognitionem ipsam participare de omnibus rebus putamus. Nam omnis res est vera, & consequenter Intelligibilis, & veritas relative sumta est ipsa rei intelligibilitas. Illamque cognitionem esse

esse, tam universalium quam singula-  
rium, ipsiusque DEI divinarumque  
omnium. Universalia autem intelle-  
ctioni obvia dicimus, per comparati-  
onem nempe singularium inter se, &  
per abstractionem à singularibus, quam-  
vis universalia & singularia, insensibi-  
lia & immaterialia, sensibilia & ma-  
terialia, non eodem modo ab Intellec-  
tu percipientur: nam particularia ob-  
jecta respiciendo, deprehendimus quæ-  
dam entia directè movere & termina-  
re intellectum, quædam non nisi indi-  
rectè esse terminativa intellectus. Nec  
universalia tantum, verum etiam singu-  
laria, & quidem immaterialia & insen-  
sibilia, sub suo habet complexum; Com-  
petit enim humano intellectui, utpo-  
te qui cognoscit DEUM, ens singula-  
rissimum, quamvis non à priori, tamen  
à posteriori, per triplicem viam co-  
gnitionis à Scholasticis traditam, nimi-  
rum: causalitatis, eminentiæ, & ne-  
gationis. Cum nec cognitio objecti  
cognoscibilis requirat æqualem perfe-  
cti-

ctionem entitativam potentiaz cognoscens: Etiam si natura cognoscibilis, secundum suum modum essendi, excedat naturam cognoscens, secundum suum modum essendi, potest tamen cognosci ab eo: alias namque nulla creatura, etiam lumine gratiae & gloriæ illustrata, potest cognoscere DEUM & Divina, quia simpliciter excedunt omnem intellectum creatum. Illud ipsum quoque de rebus ignobihissimis imò non entibus, afferendum est, ob eandem rationem, quia scilicet secundum se & ut talia, Intellectus operationibus substantia, *objective* confeqventer, in quantum finguntur & excogitantur, non actu cognoscibilia vel intelligibilia, sed potentiam.

§. VII. Sub considerationem objecti *inadequati*, veniunt singularia, sensibilia, non obstante quod ea sint objecta sensuum. Quorum cognitione universalium postmodum formatur notitia; illa itaque sunt quae primum in nostrum cognitionis palatum admit-

tuntur. Quemadmodum enim Phantasia, sensus superior, potens est omnia imaginari, quæ sensus inferiores cognoscunt: eodem modo Intellectui (potentiae quasi cognoscitivæ superiori) non deneganda est ea perfectio, quin res singulares ab eo possunt cognosci, & per species intelligibiles ei representari Singularium horum cognitionis, ut præcedit cognitionem universalium, ita & difficilior est; Intellectus vero maxime occupatur circa universalia. Verum nec omnia singularia materialia sunt, ut paulò ante ostensum est, de Deo rebusque divinis: nos neque movet, quocunq; modo singularia sese habent, materialia sint an immaterialia; perceptionem tamen Intellectus non impediunt, qui res apprehendit non materialiter, sed immaterialiter per species intelligibiles. Ipsa quoque entia materialia, sine materia recipiuntur a sensibus, ac multò magis ab Intellectu. Modum autem horum singularium cognitionis fieri per

accidentia notū est; qvia ex accidentibus propriis singularibus elicimus notionem seu Phantasma proprium singularium. Qvam fover sententiā Dannhawerus, dicens: *Non abstrahit Intellectus ab objecto, sed à modo; nam objectum singulare & materiale cognoscit, sed modo spiritali; sicut substancialis cognoscimus per accidentia, Deum per actum creatum, ita & cognoscimus materiale per actum spiritalem.* Nec Intellectus officium est capere universalia tantum, sicut sensus singularia, sed & singularia & universalia. Unde B. Sperlingius, sensus, inquietus, singularium esse *exclusive*; Intellectus vero *inclusive*. In illoque est differentia, qvod sensus solum singularia cognoscit, Intellectus vero & singularia & universalia.

§. VIII. Hoc loco non videtur silentio prætereundum Philosophi effatum: nihil esse in Intellectu, quod non prius subjerit sensus. Qvod qvamvis celebre sit dictum, non tamen sine candidâ explicatione acceptandum est,

qva-

qvasi omnia qvæ cognoscimus, prius  
deberent esse in sensu; sed determinate,  
non qvatenus innatam, à nativitate in-  
sitam, & à natura anteqvam ratio sese  
exerere qvivit, inscriptam; sed acqui-  
sitam respicit notitiam, imo actualē  
aliarum rerum contemplationem, qua-  
rum respectu Intellectus sit instar ra-  
sæ tabulæ, & requirat prævios sensus;  
qvæ etiam Notitiâ vel *directe* compa-  
ratur, è qualitatibus nobis manifestis,  
*per se* & immediatè, vel *per aliud*, cum  
qvædam existunt, qvæ aliquando sen-  
sibus obveniunt, qvædam autem qvæ  
nunquam occurruunt nisi per effecta, ne-  
cessariò arguentia connexionem suæ  
causæ; è visilibus enim creaturis e-  
ducimur nos ad invisibilia DEI. *Per*  
*partes*, qvas sejunctim visas, mentis o-  
peratione componimus. Sic componen-  
do, montis aurei ideam, ex montis &  
auri imaginibus Intellectus effingit. *per*  
*similia*; sic cognoscitur unum per aliud  
simile. *per fundamenta*, & alios qvot-  
cunque modos, qvibus ferimur in co-  
gno.

noscendorum notitiam. Et hoc est quod supra indigitavimus, non omnia entia æque & eodem modo esse intelligibilia; multa namque ab Intellectu cognita, non sane per suas qualitates, à sensibus externis perceptas, venerunt tamen sub iudicium phantasie, qvâ mediante objectum intelligitur.

§. IX. Ad objectum apprehendendum, consideratio specierum intelligibilium, cum consideratione Intellectus Humani juncta est, qvæ *objectum quo & vicarium*, constituunt. Qvarum præsertim existentia & necessitas in dubium verti solet; Cum tamen non datum sit potentiae intellectivæ, recipere objecta materialiter, & uti in se sunt, verum uti intelligibilia, nimirum per accidentia in sensus exteriores incurventia, à qvibus intellectio nostra incipit, cum ne sensus quidem ingrediatur, nec cum objecto suo substantialisiter, uniantur, nisi per imagines & illuminata phantasmata, ab agente Intellectu patienti impressa: qvæ cum C sint

sint tenuissimæ entitatis, ab objectis in sensus emissæ, intentionales appellantur. Quārum natura hac delineari potest descriptione: *Species intelligibilis est qualitas e phantasmate producta, opera Intellectus agentis, & à patiente recepta, res ipsas animæ representans.* Rem, per se facilem, difficultatibus nonnullis involvere conatur Julius Scal. harum specierum naturam non satis ad liquidum esse perductam, an sit substantialis, an accidentalis, quare ratione illa intelligitur per hanc. Substantias a. cognosci, quatenus entia sunt & vera, adeoque intelligibilia, & quidem per accidentia, quæ hic considerantur, ut idæ & imagines, quare & qualitatis nomine veniunt. Namque menti inhærent, inque eâ existunt, non aliter ac scientiæ, & ejusmodi alia. Illa dicta funto de intellectus objecto.

§. X. Quantis tenebris ignorantiae, protoplastorum lapsu, sit obscuratus omnium intellectus in suâ functione,,  
quæ

quæ est ipsa intellectio, quamque nubibus densis obseptus, indies proh dolor! experimur: adeo ut nobis difficilimum sit, imò impossibile, naturam & modum intelligendi, tam dilucide explicare, nihil ut desiderari possit. Recepta tamen est, omnium Philosopherum consensu, sententia, cognitionem nostram à sensibus initium ducre: adeò ut nihil qvicquam ab Intellectu percipiatur, qvod cerebro perphantasmata non fuerit impressum. Dudum etiam experientiâ est comprobatum, res physicas & corporeas non licitum intueri, nisi per phantasmata, veluti animi fenestras subeuntia; ad qvæ sese convertit intellectus, & ex iis simulacris alias imagines, qvas species intelligibiles paulo ante vocavimus, efformat, qvæ à sensibus externis forinsecus haustæ, transmittuntur ad sensus interiores: sensu communi, directricis instar, tunc earum diversitatem judicante & discernente, de visis auditis & odoratis &c. fertur judicium:

qvas species phantasia sub includem ex-  
aminis revocans, alias iterum elicit.  
Intellectu agente tunc accedente, cuius  
officium est rerum sensibilium species,  
instar solis illuminare, & spiritales pro-  
ducere. Haud aliter ac *Architectus ex*  
*effigie Domus Domum efficit: ita intellectus*  
*agens ex idolo fantastico speciem intelligi-*  
*bilem producit, non tantam ex materia,*  
*sed ut ex idea & exemplari.* Sperling. Intel-  
lectionem tamen ipsam fieri constat sine  
ministerio organorum, quibus intellectus  
omnino destitutus, cum nullum  
corporis membrum detur, cuius bene-  
ficio intellectio fit. Sensibus nec cogni-  
tio tanta, ac intellectui tribuenda, ut qui  
requirunt organa ad suas edendas o-  
perationes; quod enim sensus sentiunt  
per species sensiles, id intelligendi fa-  
cultas obtinet per intelligibiles, mediante  
quidem phantasiâ & cerebro, sine  
tamen aliqua potentia organicâ & cor-  
poreâ. Inconveniens enim foret rationa-  
li animæ tribuere organa, quæ in ani-  
man-

mantibus Brutis, rationis expertibus, reperiuntur: quæ licet sensibus non tamen Intellectu dotata, quare non confundendus modus, objecta deferringi, cum modo objecta cognoscendi. Deteruntur, quidem objecta ad intellectum per organa, sed non per ea cognoscuntur. Et quamvis mens nostra intellectura aliquid, necessariophantasmata speculatur, hoc tamen non fit modo corporeo & organico.

§. XI. Inspectâ intellectus nostri naturâ, cuius est tempus ab imperfectori ad perfectiorem actum procedere, tribus actibus sibi ministerio, eum uti depredandimus, simplicium scilicet apprehensione, quando mens nostra rem simplicem concipit, compositione & divisione, quando per affirmationem vel negationem, res vel termini inter se conferuntur, nec non ipso discursu, quando ex collatione horum, tertium quid elicetur. Ubi ex simplicibus ter-

minis constat enunciatio, & ex enun-  
ciatione ratiocinatio, in qvibus ut pri-  
mus ad secundum, ita secundus ad ter-  
tium, veluti pars ad totum, refertur.  
Qvod ipsum & Scal. *Est intellectus o-*  
*pus triplex.* Primum cognitio verum simpli-  
cium, secundum ubi conjuncta cognoscit: è  
qvibus confidunt, qvæ nostri vocant propo-  
sitiones, Ciceroniani effata. Hunc actum  
accirco nostri Barbari complexum appellant;  
ut homo est animal. Tertium est, cum his  
ita conjunctis adiicimus alia, ut ex ea com-  
positione aliquid aliud educamus; hæc dicitur  
ratiocinatio. Diverlos autem intelligen-  
di modos & distinctiones intellectio-  
nis, brevitati studentes, omittimus. U-  
nū tamen notantes, utpote qvod in-  
tellectio sit vel directa, qvæ per spe-  
ciem intelligibilem perficitur, qvæque  
intelligibile cum Intellectu unit. Vel  
reflexa, quando ipsa anima in se ipsam  
recurvatur & reflectitur, se & suos a-  
ctus cognoscendo. Kipp.

## SECTIO TERTIA.

§. XII. **D**ivisio Intellectus, ratione  
modi agendi, in *agentem &*  
*patientem*, suâ radiat Luce; qvam ita  
demonstrationibus & evidentiis rati-  
onibus, antiquitas & constans philo-  
phorum consensus reddidit corroborata-  
tam, ut nefas sit ab illâ discedere. In  
aprico est, Intellectum nostrum, ali-  
quando operosum esse, aliquando ve-  
ro in contemplatione rerum obdormi-  
scere. Operatione qvamvis non sem-  
per occupatus, ad actum tamen intel-  
ligendi in potentia est, qvam subit Intel-  
lectus passibilis, respectu agentis &  
specierum intelligibilium, tamquam ef-  
fecta arguentia suam cruxam efficien-  
tem, sine qvibus nulla fit intellectio;  
sicut sine sensibilibus nulla sensio. Ne-  
cessum itaque est, præter hunc, alium  
Intellectus esse modum, qvi sit princi-  
pium activum, efficientis rationem su-  
stinentis, qvod idoneum est omnia fa-  
cere actu intelligibilia, nihil cum in u-  
ni-

niversâ naturâ rerum hujus mundi, se-  
ipsum è potentia reducit ad actum, sed  
aliud necessariò est efficiens & redu-  
cens, atque ita diversæ & distinctæ cau-  
sæ, effectrix & materialis. Hoc i-  
pso probatum imus intellectus agen-  
tis ò.

§. XIII. Ulterius inqvisituro, non  
minus negotii facessit ejus ~~dōn~~, quod  
maxime controversum est sententia in-  
terpretum, qvorum qvidam per inte-  
lectum agentem, creatorem ipsum, a  
quo intellectus noster illustratur, sive a-  
liquem angelum, indigitari dixerunt.  
Largissimam vero illam litigandi ma-  
teriam volumus sepultam. DEUM i-  
psum, tamquam causam primam omnis  
nostræ intellectionis & actionis, non  
volumus excludimus ; in iis tamen qvæ  
secundum naturæ ordinem fiunt, non  
agere immediate, sed mediantibus cau-  
sis secundis, autumatmus. Et cum In-  
tellectio nostra sit facultas hominis  
primaria, & propria in 4. modo; non  
opus

opus est, ut ejus actionem primæ causæ, velut immediatè tribuamus, qvæ est naturalis. Talem autem angelum custodem, qualem hic Bodinus ssvaviter nugatur; nec intellexisse patet philosophum; sed agentem appellat, virtutem animæ nostræ nos informantis, qvæ ex potestate intelligibilibus actu intelligibilia facit: Phantasmata præparando arque puriora intellectui possibili offerendo, qvibus instar solis candore illustratis, & remotis accidentibus, qvæ non sunt rei essentialia; naturam intelligibilem induunt, & ad patientem diffunduntur quem alias sine hac illuminatione attingere non possent, propræa quod *ā dñm* adhuc sint, & ē materiæ conditionibus nondum abstracta. Non tamen reddit objecta intelligibilia secundum suam essentiam, ita ut formaliter imprimatur ipsis talis vel talis qualitas; sic nec lux, cui assimilatur Intellectus agens, illuminando facit, ut colores sint colores; sed tantum

ut conspiciantur. Nec aliter res seie  
habet cum Intellectu, ac comparatum  
est cum visu, ejusque objecto colo-  
re: Hic nullam producit speciem sen-  
silem in oculo, nec actu videri potest,  
nisi à sole aut alio corpore lucido il-  
luminatus fuerit; simili ratione phan-  
taśma, qvod semper ad intellectum re-  
quiritur, non potest in Intellectum pos-  
sibilem imprimere speciem intelligibi-  
lem nisi lumine Intellectus agentis il-  
lustratum fuerit.

§. XIV. Intellectus verò ~~ωραγην~~  
in ipsâ intellecione, se habet sub-  
jectivè, & instar materiæ, cujus pro-  
prium est pati impressione spirituum  
intelligibilium, qvare etiam alio atque  
alio modo consideratus, tria sortitus  
est nomina. In potentia est, quate-  
nus consideratur, ut nobiscum in hanc  
vitam prodit; sic nihil aliud habet  
qvam suam naturam & essentiam, nul-  
los secum adferens actus intelligendi;  
potest tamen recipire species intelligi-  
bi-

biles, qvibus mediantibus possibile est intelle<sup>c</sup>tione fieri. talis itaque intellectus ratio comparatur a philosopho Chartæ puræ. Ut animadvertere est in infantibus qvi nondum habent usum intelle<sup>c</sup>tionis, essentiam tamen Intellectus habent & intelligendi *divisio*. Atque hæc de prima Intellectus divisione. Ubi illud etiam observandum Intellectum agentem & patientem seu possibilem; non realiter sed ratione tantum distingvi. Unus namque est Intellectus, una potentia; diversimodè se habens, qvæ tum formæ & agentis, tum materiæ & patientis rationem habet; qvoad diversa autem Intellectus munia, diversisque respectus nihilominus differunt, ut quod intellectus agens cum Phantasmate producit speciem intelligibilem, ibi quietendo; sed Intellectus possibilis, recipit illam in se, eâque mediante actualiter intelligit. Intellectus *distinc-*  
*tionem in Theoreticum & Practicum*, ratio

noſtri iſtituti non ſinit perfeqvi. Hæc itaque ſunt, qvæ ſuper hâc nobili & diſſicili materia rudis Minerva de- promi paſſa eſt, de qva longiorem texere telam vetat ſumtuum penuria; Tu proinde Cand. Lector, fac, nè aſperè nimis luam, ſicubi calamus titubaverit gracilis. DEO trinuni ſit decus laus & perennis **Gloria!**



Doctrinâ & virtute eximie

DN. B R U Z E L I

Popularis & amice integerrime!

**D**edalus ut fama est vetus per inania pennis  
Arte novâ fabricans ingeniosa facit.  
Frustra es jupiterides, si non tua machina sentit,  
Ignem qui superâ missus ab arce venit.  
Membra jacente duro pallentia fessa rigore,  
Spiritus at vegetat illa foveatque probe,  
Sublimis placeat moles aliis sua valde  
Terrea, compages corporis atque renax:  
Altius ipsa sapit sua sed facunda Minerva,  
Sensus qua fugiunt detegit atque docet.  
Hec anima monstrat quam non angusta facultas.  
Est quam fronte gerit pagina culta tua.  
Non Tibi Mæonii sapiunt carceris Bacchus,  
Noctesve insomnes sic ebriosus agis.  
Hauris sed riguos latices quos stillat Apollo,  
Hinc parata satus letaque sponte manet.  
Ingenium probitas pietas industria tandem  
Fundent virtuti, splendida dona Tua.

ceu optat

SVEN MELANDER.

*Ad*

*Virum Juvenem.*

*Eximum & Praestantissimum,*

**DN. NICOLAUM BRUZELIUM,**  
amicum & convictorem ho-  
norandum.

*Σύγχαρη.*

**I**n præsens pandis BRUZELI dogma-  
ta pura;

Ingenio quæ vis sit monstrans in-  
generata,

Qua poscit felix rerum cognoscere  
causas.

Fausta tibi, precor, & per tempo-  
ra longa perennes,

Felix & latus, donec tibi ceder  
olympus.

*ISAACUS LAURBECHIUS.*

Viro Juveni

Literarum Cultura & morū Elegantia Egregio

DN. NICOLAO BRUZELIO

Institutori fidelissimo & Amico perdilecto,

De Intellectu Humano publicâ ventilatione

Disputationem solester defendant.

**S**candere contendis salebrosa cacumina honoris

Præfixum & studiis pergis adire scopum;

Impiger en do&um discursum mente sagaci

Defendis, celsa promptior e Cathedra,

Hic *Intellectus Naturam exponis agentis*

*Humani*, & munus quod *Patientis* erit.

Hæc penetrans docto meditamine pandis acute,

Dogmata, quæ solide tu pariterque probas.

Macte igitur studiis præclaris fidere fausto

Præmia larga feres, sponte favente DEO!

*Vox eius gratulatur*

C. L.

**A**rduum & perdifficile esse iter, quo Musarum scanditur culmen, unamini & constanti testantur voce omnis ætatis Viri, etiam, qui supra vulgarem eruditionis sortem sunt elevati, idque non immerito: quantum enim labore & studiō, quantaque diligentia, noctibusque insomnibus hanc calcarunt viam, vel illis liquere potest, qui prima monumentorum ab illis relictorum salutaverint limina.

Sum-

Summus rerum arbiter DEUS, sine magna  
cura, magnoque labore nihil unquam mor-  
talibus concedere voluit; utpote cum per la-  
plum, proh dolor! ex concreata illa mentis  
Viciumque omnium perfectione, nihil fermè  
præter miseram Intellectus caliginem, restet,  
nè tamen homo brutorum ad instar plane i-  
gnorantia tenebris aberraret, hujus clavis mi-  
serus Deus aliquas etiamnum primævæ inte-  
gritatis stricturas, virtutumque semina in hos  
minum mentibus supereesse voluit: quæ ad-  
moto pii assiduique laboris studio, adhibito-  
que vero agri istius cultu in lætissimaq[ue] demum  
messem succrescunt. cuius rei documentum e-  
disgregium perdilecte Amice, dum Intellectus  
humani naturam, vires, objectum modumque  
rerum naturalium adyta profundosque sinus  
perscrutandi & cognoscendi, conatu prorsus  
laudabili ostendis. Gratulor ergo Tibi hunc fe-  
licem ingenii tui foetum, quem in nobili hac  
materia enucleanda in publum proferre non  
dubitaveris imoque ex pectore voveo honestis  
laboribus tuis fructus contingent ubi remi, &  
prospera insuper quævis Tibi concedat is, qui  
omnia facere potis est!

J. Wickelgreen.

